



DAEDALVS ET ICARVS

1 Quīntus: “Nōnne rēx Mīnōs Thēseum cum Ariadnā fugientem persecūtus est?”

Syra: “Certē rēx eōs persequī coepit, sed nāvis Thēseī nimis celeris fuit. Mīnōs, quamquam celeriter nāvīgāvit, nōn tam celer fuit quam Thēseus neque eum cōsequī potuit. Tum rēx irātus cēpit Daedalum, quī filum cōnfēcerat et Ariadnae dederat, eumque in labyrinthum inclūdī iussit unā cum eius Īcarō filiō; vērūm pater et filius mīrābilī modō ē labyrinthō fūgērunt. Crās tibi
10 nārrabō dē fugā eōrum, hodiē plūs temporis ad nārrandum nōn habeō: iam hōram cōnsūmpsī in nārrandō.”

Quīntus: “Neque tempus melius cōnsūmere potuistī! Nōn oportet in mediā fābulā finem nārrandī facere. Quoniam māiōrem fābulae partem iam nārrāvistī, par-
15 tem reliquam quoque nārrāre dēbēs. Ego parātus sum ad audiendum.”

Ad hoc Syra “Ergō” inquit, “quoniam tam cupidus es audiendī, reliquam fābulam tibi nārrābō:

per-sequī = (fugientem) sequī

celer -eris -ere:
equus celer (*m*)
nāvis celeris (*f*)
pīlum celere (*n*)
capere-iō cēpisse captum

cōn-ficere -iō -fēcisse
-fectum = facere
vērūm = sed
Īcarus -ī *m*

fuga -ae *f* < fugere
ad nārrandum = ad nārratiōnem
cōn-sūmere
in nārrandō = in nārratiōne

finis nārrandī = finis nārratiōnis
quoniam = quia

reliquus -a -um = cēterus

cupidus audiendī = quī audire cupit
reliqua fābula = reliqua fābulae pars

in-venire = reperire

audāx -ācis = audēns
 āera *acc* (= āerem)
 ef-fugere < ex + fugere
 cōnsilium -ī *n*: c. eius =
 quod facere cōstituit
 cōnsidere -sēdisse

carcer -eris *m*
 per nōs : sine auxiliō
 quis-quam = ūllus homō
 (neque q. = et nēmō)
 iuvāre iūvisse: eum i.
 = ei auxiliū ferre
 haud = nōn

paene = prope

diī = deī



carcer

ex-cōgitāre



orbis
 -is *m*

liber -era -erum

trāns *prp + acc*:

trāns
 montem → mōns

imitārī: avēs i. = facere
 ut avēs
 ē-volāre

quidem = certē
 studiōsus -a -um =
 cupidus descendī

“Daedalus in labyrinthō inclūsus cum filiō suō intrā
 mūrōs errābat nec exitum invenire poterat, etsī ipse 20
 labyrinthum aedificāverat. Quoniam igitur aliae viae
 clausae erant, ille vir audāx per āera effugere cōstituit.
 Īcarus autem, quī cōnsilium patris ignōrābat, humī
 cōnsēdit et “Fessus sum” inquit “ambulandō in hōc
 carcere, quem ipse nōbīs aedificāvistī, pater. Ipsī per 25
 nōs hinc effugere nōn possumus, neque quisquam nōs
 in fugiendō iuvāre poterit, ut Thēseum iūvit Ariadna.
 Haud longum tempus nōbīs reliquum est ad vīvendum,
 nam cibus noster paene cōsūmptus est. Ego iam paene
 mortuus sum. Nisi diī nōs iuvābunt, numquam vīvī 30
 hinc ēgrediēmur. Ō diī bonī, auxiliū ferte nōbīs!”

“Daedalus vērō “Quid iuvat deōs invocāre” inquit, 11
 “dum hīc quiētus sedēs? Quī ipse sē iuvāre nōn vult,
 auxiliū deōrum nōn meret. At nōlī timēre! Ego cōnsi-
 lium fugae iam excōgitāvī. Etsī clausae sunt aliae viae, 35
 ūna via nōbīs patet ad fugiendum. Intuēre illam aqui-
 lam quae in magnum orbem circum carcerem nostrum
 volat! Quis est tam liber quam avis quae trāns montēs,
 vallēs, flūmina, maria volāre potest. Quīn avēs caelī
 imitāmur? Mīnōs, quī terrae marīque imperat, dominus 40
 āeris nōn est: per āera hinc ēvolābimus! Hoc est cōnsi-
 lium meum. Nēmō nōs volantēs persequī poterit.” “Ego
 quidem studiōsus sum volandī” inquit Īcarus, “sed ālae
 necessāriae sunt ad volandum. Quoniam diī nōbīs ālās
 nōn dedērunt, volāre nōn possumus. Hominēs sumus, 45

nōn avēs. Nēmō nisi deus nātūrā suā mūtāre potest. Avēs nātūrā volāre possunt, hominēs nōn item.” Tum Daedalus “Quid ego facere nōn possum?” inquit, “Profectō arte meā ipsa nātūra mūtārī potest. Multās rēs
 50 mīrābilēs iam cōnfēcī, quae artem meam omnibus dēmōnstrant, nōn solum aedificia magnifica, ut hunc labyrinthum, vērū etiam signa quae sē ipsa movēre possunt tamquam hominēs vīvī. Ālās quoque cōnficere possum, quamquam opus haud facile est.” “Audāx quidem est cōnsilium tuum” inquit Īcarus, “sed omne cōnsilium fugiendī mē dēlectat, ac tū id quod semel excōgitāvistī perficere solēs.” “Certē cōnsilium meum perficiam” inquit pater, “Ecce omnia habēō quae necessariā sunt ad hoc opus: pennās, cēram, ignem. Igne cēram
 60 molliam, cērā mollī pennās iungam et in lacertīs figam.”
 “Daedalus igitur arte mīrābilī sibi et filiō suō ālās ingentēs cōnfēcīt ex pennīs, quās cērā iūnxīt et in lacertīs fixīt. Postquam finem operis fēcīt, “Opus iam perfectum est” inquit, “ecce exemplum artis meae novissimum. Avēs quidem nōn sumus, sed avēs imitābimur in
 65 volandō. Ventō celerius trāns mare volābimus, nūlla avis nōs cōsequī poterit.”
 “Īcarus studiōsus volandī ālās hūc illūc mōvit, nec sē suprā humum levāre potuit. “Ālae mē sustinēre nōn
 70 possunt” inquit, “Tū docē mē volāre!” Statim Daedalus sē ālīs levāvit et “Nisi ālās rēctē movēs” inquit, “volāre nōn potes. Imitāre mē! Haud difficilis est ars volandī.

nisi deus : praeter deum

nōn item : nōn possunt

ars artis *f*: ars mea = id quod facere possumignis
-is *m*

tam-quam = sicut

opus -eris *n*cōnsilium fugiendī
= cōnsilium fugae
per-ficere -iō -fēcisse
-fectum < per + facerepenna -ae *f*mollire = mollem facere
lacertus -ī *m* = brachium
superius
ingēns -entis = valdē
magnus
iungere iūnxisse iūctum
figere fixisse fixum

movēre mōvisse mōtum

levāre (< levis)
= tollere

<p>sūrsūm[↑]↔deorsūm[↓]</p> <p>puerūm ōsculātus = postquam puerūm ōsculātus est</p> <p>īnfimū -a -um <i>sup</i> < īnferus, <i>comp</i> īnferior sīn = sī autem</p> <p>summū -a -um <i>sup</i> ↔ īnfimū; <i>comp</i> superior ūrere ussisse ustum = igne cōnsūmere cautus -a -um ↔ audāx estō! estōte! = es! este! (<i>imp</i>)</p> <p>aliquis : aliquī vir su-spīcere -iō = sūrsūm aspīcere</p> <p>libertās -ātis <i>f</i> < liber</p> <p>dē-spīcere (↔ suspīcere) = deorsūm aspīcere multitūdō -jnīs <i>f</i> (< multī) = magnus numerus</p> <p>tibi vidētur : tū putās</p> <p>rēs magna esse mihi vidētur = rem magnam esse putō</p> <p>paen-īnsula -ae <i>f</i> < paene īnsula Isthmus -ī <i>m</i></p>	<p>Movē ālās sūrsūm deorsūm hōc modō!” Ita pater filium suum artem volandī docuit tamquam avis pullōs suōs.</p> <p>Tūm puerūm ōsculātus “Parātī sumus ad volandum” 75 inquit, “sed prius hoc tē moneō: volā post mē in mediō āere inter caelum et terram, nam sī in īnfimō āere prope mare volābis, pennae ūmidāe fient, sīn volābis in summō āere prope caelum, ignis sōlis cēram molliet atque pennās ūret. Nōlī nimis audāx esse in volandō! 80 Cautus estō, mī fili! Iam sequere mē! Carcerem nostrum effugimus — liberī sumus!”</p> <p>“Haec verba locūtus Daedalus cum filiō sūrsūm ē 111 labyrinthō ēvolāvit, neque quisquam fugam eōrum animadvertit nisi aliquī pāstor, quī forte suspiciēns eōs 85 tamquam magnās avēs volantēs vīdit ac deōs esse arbitrātus est. Mox pater et filius Crētam relīquērunt, neque vērō rēctā viā Athēnās in patriam suam volāvērunt, sed novā libertāte dēlectātī in magnum orbem suprā mare Aegaeum volāre coepērunt. Īcarus dēspiciēns 90 multitūdinem īnsulārum mīrātus est: “Ō, quot parvae īnsulae in marī ingentī sunt!” Daedalus vērō “Illae īnsulae” inquit “haud parvae sunt, quamquam parvae esse videntur. Certē Mēlos īnsula, quae īnfrā nōs est, nōn tam parva est quam tibi vidētur.” Īcarus: “Sed illa īn- 95 sula quae nōbīs ā sinistrā est multō māior esse mihi vidētur. Quae est illa īnsula?” Daedalus: “Peloponnēsus est, Graeciae pars, nec vērō īnsula est, sed paenīnsula, nam Peloponnēsus terrā angustā, quae Isthmus vocā-</p>
---	--

100 tur, cum reliquā Graeciā coniungitur. Prope Isthmum
sita est Corinthus, urbs pulcherrima, nec procul absunt
Athēnae, patria nostra.” “Sī altius volābimus, nōn sō-
lum Graeciam, sed paene tōtum orbem terrārum spectā-
bimus” inquit puer temerārius atque etiam altius sē le-
105 vāvit. Illinc nōn solum magnās Eurōpae et Asiae partēs
dēspiciēbat mīrāns, vērūm etiam ōram Āfricae procul
cernēbat, deinde suprā sē sōlem in caelō serēnō lūcen-
tem suspexit. Statim puer, cupidus sōlem propius aspi-
ciendī, quamquam pater eum monuerat, in summum
110 caelum ascendit...”

Hīc Quīntus, quī exitum fābulae studiōsē exspectat,
interrogat: “Quid tum accidit?”



Syra: “Tum factum est id quod necesse erat accidere:
ignis sōlis propinquī cēram, quā pennae iūctae et fixae
115 erant, mollīvit et pennās ussit. Puer territus, lacertōs
nūdōs quatiēns, in mare cecidit ac mersus est, neque
pater eī auxilium ferre potuit. Ea maris Aegaeī pars in
quā Īcarus mersus est ā nōmine eius ‘mare Īcarium’

Corinthus -ī f

orbis terrārum = omnēs
terrae (Eurōpa, Asia,
Āfrica)
temerārius -a -um =
nimis audāx

-spicere -iō -spexisse
-spectum

exitus = finis

accidere -disse = fieri:
accidit = fit/factum est



orbis terrārum

propinquus -a -um = qui
prope est

quater -iō = celeriter
hūc illūc movēre
mergere mersisse
mersum

Īcarius -a -um < Īcarus

invenīre -vēnisse
-ventum

omnis -e = tōtus

tempus dormiendī est =
tempus est dormīre

cāsus -ūs *m* < cadere
valdē, *comp* magis,
sup m̄ximē

ab-errāre

quārē n̄rrātur fābula?
monendī causā n̄rrātur

re-vocāre

volāre sibi vidētur = sē
volāre videt/putat

appellātur. Item īnsula propinqua, in cuius lītore corpus puerī inventum est, etiam nunc 'Īcaria' vocātur." 120

"Ecce omnem fābulam habēs dē puerō temerariō quī libertātem quaerēs mortem invēnit. Iam tempus dormiendī est. Nōnne fessus es longās fābulās audiendō?"

Quīntus caput quatit et "Nōn sum fessus, nec illa fābula longa esse mihi vidētur. Ex omnibus fābulīs haec 125 dē cāsū Īcarī mē m̄ximē dēlectat, etiam magis quam illa dē filiō Sōlis, quī currum patris regere cōnātus item dē summō caelō cecidit, quod ab orbe sōlis stultē aberrāverat. Semper valdē dēlector tālēs fābulās audiendō."

Syra: "Ego nōn minus dēlector n̄rrandō illās fābulās, 130 nōn modo quod ipsae per sē pulcherrimae esse mihi videntur, sed etiam quia exitūs fābulārum hominēs temerariōs optimē monent. Tālīs enim est hominum nātūra, et quidem m̄ximē puerōrum. Nōn solum dēlectandī causā, vērūm etiam monendī causā n̄rrātur fābula dē 135 filiō Daedalī, nam quod illī puerō accidit, idem omnī puerō accidere poterit, nisi patrī suō pāret. Nōlī Īcarum imitārī, mī Quīnte! Semper cautus estō! Vērūm haud necesse est tē ā mē monērī post id quod herī tibi accidit. Certē ille cāsus tuus melius tē monet quam ūlla fābula!" 140

Hīs verbīs puerō monitō, Syra tandem n̄rrandī fīnem facit. Neque Quīntus eam abeuntem revocat, sed in lectō recumbit oculōsque claudit. Mox puer in somnīs sibi vidētur ālis ōrnātus trāns montēs et flūmina volāre. 145

GRAMMATICA LATINA

Gerundium

Hōrā in nārrandō cōnsūptā, Syra plūs temporis ad nārrandum nōn habet et finem facit nārrandī.

- 150 'Nārrandum' est gerundium; quod pōnitur in locō īfinītīvī et sic dēclīnātur: accūsātīvus *-ndum*, genētīvus *-ndī*, ablātīvus (et datīvus) *-ndō*.

Exempla:

- 155 Ovidius, semper parātus ad *amandum*, librum dē *amandō* scrīpsit, quī appellātur 'Ars *amandī*.'

Magister, quī artem *docendī* scit, parātus est ad *docendum*.
Magister ipse discit aliōs *docendō*.

Industriū estōte in *scribendō*, discipulī! Tempus *scribendī* est. Estisne parātī ad *scribendum*?

- 160 Iam tempus *dormiendī* est, sed Quīntus nōn est fessus *audiendō* neque parātus ad *dormiendum*.

Scrībere *scribendō*, *dīcendō* dīcere discēs.

nārrandum
nārrandī
nārrandō

-ndum -ndī -ndō

[1] amā|re
ama|nd|um
ama|nd|ī
ama|nd|ō

[2] docē|re
doce|nd|um
doce|nd|ī
doce|nd|ō

[3] scrīb|ere
scrīb|end|um
scrīb|end|ī
scrīb|end|ō

[4] dormi|re
dormi|end|um
dormi|end|ī
dormi|end|ō

dīcere = loquī

PENSVM A

Nāvēs necessāriae sunt ad nāvīg-. Iūlia dēlectātur in hortō ambul- et flōrēs carp-. Mēdus cōnsilium fugi- excōgitāvit; Lȳdia eum iūvit in fugi-. Paulum satis est ad beātē vīv-.

Verba: iungere -isse -um; figere -isse -um; mergere -isse -um; ūrere -isse -um; movēre -isse -um; capere -isse -um; invenīre -isse -um; cōnsīdere -isse; iuvāre -isse; accidere -isse.

PENSVM B

Daedalus exitum labyrinthī — [= reperīre] nōn poterat nec — [= ūllus homō] eum in fugiendō — poterat. — igitur aliae viae clausae erant, vir — [= audēns] per āera — cōnstituit. — patris filium dēlectāvit. Tum Daedalus ālās cōnfēcit ex — quās cērā iūnxit et in lacertīs —. Postquam hoc — perfēcit, Daedalus filium suum — volandī docuit: "— mē! Movē ālās — — hōc modō! Ars volandī — [= nōn] difficilis est. Sed antequam hinc —, hoc tē moneō: nōlī volāre in — āere prope

Vocābula nova:

fuga
cōnsilium
carcer
orbis
nātūra
ars
opus
penna
ignis
lacertus
libertās
multitūdō
paenīnsula
cāsus
celer
reliquus
audāx
liber
studiōsus
ingēns
īnfimus
summus
cautus

temerarius
 propinquus
 persequi
 consequi
 conficere
 consumere
 invenire
 effugere
 iuvare
 excogitare
 imitari
 evolare
 perficere
 mollire
 figere
 levare
 urere
 suspicere
 despiciere
 accidere
 quaterere
 aberrare
 revocare
 videri
 esto
 quisquam
 sursum
 deorsum
 haud
 paene
 quidem
 tamquam
 quoniam
 verum
 sin
 trans
 gerundium

mare nec in — aere prope solem. Iam sequere me! — nostrum relinquimus, — sumus!”

Icarus in summum caelum ascendens non solum Graeciam, — [= sed] etiam Asiam ac — [= prope] totum — terrarum despiciēbat. Tum vero id quod pater timuerat — [= factum est]: — solis propinqui ceram — atque pennas —.

Ecce fabula mirabilis de puerō — qui — quaerens mortem invenit.

PENSVM C

Quis Daedalum in labyrinthum includi iussit?

Quomodo Daedalus effugere constituit?

Cur homines volare non possunt?

Ex quibus rebus Daedalus alas confecit?

Cur alae Icarum sustinere non poterant?

Quid pater et filius volantes viderunt?

Estne Peloponnesus magna insula?

Quare Icarus in summum caelum ascendit?

Quid tum puerō accidit?

Ubi corpus pueri inventum est?

Num haec fabula delectandi causa modo narratur?